2

ORATIO
DE
CELEBERRIMO QVONDAM NOBILISSIMOQVE IMPERII CASTRO TRIFELS,

HABITA ET RECITATA

A. D. XII KAL. OCTOBR. AN. CIƆIƆCCXXV,

CVM SOLLEMNIS GYMNASII BIPONTINI PERAGERETVR LVSTRATIO,

AB

HENNINGO NICOLAO IOANNE SCHLAAFF,
BIPONTINO,
PRIMAE CVRIAE ADSCRIPTO.

BIPONTI
EXCVSA IN TYPOGRAPHEO
GEORGII NICOLAI
ANNO AERAE DIONYSIANAE
CIƆ IƆCCXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

GVSTAVO SAMVELI LEOPOLDO

COMITI PALATINO AD RHENVM, DVCI BAVARIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, PRINCIPI MOERSAE, COMITI VELDENTIAE, SPANHEMII, MARCAE, RAVENSPERGAE ET RIXINGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII, ORDINIS D. HVBERTI EQVITI,

VITAM AC FELICITATEM PERPETVAM
REVERENTISSIME PRECATVR

HENNINGVS NICOLAVS IOANNES SCHLAAFF.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS

PATER PATRIAE INDVLGENTISSIME.

QVando oratiunculam, quam praeterito autumno de *Trifelſa* in auguſto TVO conſeſſu habere mihi contigit, ſumma cum benignitatis ſignificatione audire minime es grauatus, in ſpem uenio, TE non indignaturum, quod eandem, in publicum nunc iam a me propoſitam, Sereniſſimo Nomini TVO inſcripſerim, ſed uultu aeque propitio, dum eam uenerabundus ante pedes TVOS depono, accepturum.

Cum

Digitized by Google

Cum uero tanta iam in me uſus es gratia, quantam uix ſperare eram auſus, non poſſum non demiſſiſſimis TE precibus orare, uti me eadem poſthac etiam conſtanter complecti perſeueres, meaque inprimis ſtudia TIBI, litterarum amantiſſimo PRINCIPI, commendatiſſima eſſe ſinas; quae quidem ita ſemper ſum tractaturus, ut me TIBI indies magis magiſque probem, TVAMque erga me clementiam, in qua omnia mea poſita ſunt, perpetuo augeam.

Quod reliquum eſt, a DEO IMMORTALI ſumme contendo, uti TE cum SERENISSIMA CONIVGE omni rerum optandarum copia perpetuo cumulandum ſuſcipiat, atque immenſum illud, in quo TE omni exercuiſti tempore, quantumuis ſplendidae & illuſtriſſimae gloriae curriculum non conficere iubeat, niſi poſt ſeros demum annos. Datum Biponti Non. Aprilis CIↃIↃCCXXVI.

Digitized by Google

ORATIO

DE

CASTRO TRIFELS.

DVo ſunt, *AVDITORES,* quae in primis effeciſſe fateor, ut partes mihi impoſitas ſine recuſatione ſuſciperem, animoque pariter fidenti huius auctoritatem loci non dubitarem contingere. Primum eſt, quod eandem beneuolentiam ac facilitatem mihi dicturo ab uobis uniuerſis ac ſingulis pro certo ſum pollicitus, quam adhuc omnes, qui in eodem hoc ſuggeſtu conſtituti paria mecum ſuſtinuere munia, expertos eſſe recordor. Alterum eſt, & ex quo primum magna ex parte pendet, quod tale mihi obtigerit dicendi argumentum, quale delegiſſem ipſe,

Digitized by Google

ſi eius rei data mihi fuiſſet poteſtas, hoc eſt, ad audiendum iucundum & ad ueſtram attentionem mihi conciliandam aptum prorſus atque accommodatum. Cum enim in proxima ſuperiore luſtratione mei quidam ordinis de hac noſtrum omnium ſede, ac de iis omnibus, quae ad eam celebrandam ornandamque pertinere uiſa ſunt, ſollemnem recitarit orationem, idque inſtituti genus non uobis ſolum uniuerſis mirifice arriſerit, ſed, quod maximum eſt, *Sereniſſimo* etiam *PRINCIPI* haud parum fuerit probatum; ſeruare eundem morem, ac de celebri quondam huius regionis caſtro, quod *TRIFELSAE* nomine uenit, uerba hac hora facere iuſſus ſum; quippe quod, cum ab unis *Tabernis* noſtris *montanis* diſceſſerim, proxime & ſecundum *Bipontum* a nobis celebrari meretur.

Quanquam autem omnis de hoc poſtremo habita oratio ob eam in primis cauſſam uobis auditu iucunda acciderit, quod agebatur de loco, qui non ſolum plerorumque ſedes eſt natalis, ſed cunctis quoque domicilium praebet ſuauiſſimum; caſtrum uero illud, iam pridem maximam partem dirutum atque euerſum, haud perinde ad curam atque cognitionem ueſtram pertinere quibusdam poſſit uideri; uos tamen profecto pro hac, qua eſtis praediti, ele-

Digitized by Google

elegantia ingenii ac ſingulari acumine iudicii, non ſine uoluptate nunc me audituros eſſe confido. Scilicet, cum rerum priſcarum & in primis locorum & hominum nobilium quondam & celebrium, dudum licet interierint, ea ſit ratio atque natura, ut omnis eorum ex uetuſtatis monumentis eruta memoria, qua inſtaurari quaſi & renouari ac reſurgere uidentur, optimum quemque & elegantiſſimum doctrinae aeſtimatorem incredibiliter delectet; tum uero iſtud multo maxime uſu uenit, quoties illae res uetuſtae ac prope intermortuae, quae dicendo quaſi reſuſcitantur, noſmet ex aliqua parte contingunt, ſicuti in patriae cuiusque noſtrum antiqua facie & conditione manifeſte accidit. Quapropter ab hac iam parte ſecurus, unum uos porro etiam atque etiam oro, *Auditores*, ut ſi uobis minus recte omnia atque digne expedire uidear, me aetatis excuſatione uti ſinatis, ac paruulo *in magnis*, ut cum Poeta loquar, *uoluiſſe* exiſtimetis *ſat eſſe.*

Nolite uero in hoc orationis meae initio ex me exigere atque cogere, ut, qui ſit caſtri noſtri ſitus, quae natura, quamque hodie eius cadauer figuram & formam obtineat, pluribus depingam. Neminem enim ueſtrum *Annaeuillam* uidiſſe, tranſiſſeque arbitror, cui non ſimul aduerſum urbem illa

in colle editiſſimo poſita veteris *Trifelſae* ueneranda reliquiarum monumenta in oculos incurrerint; ex quibus quidem facile illud diiudicare potuit, nihil eo loco, ſi quis uel unum eius reſpexerit ſitum, ad omnem arcis caſtrique rationem uſumque aptius ac magis accommodatum fuiſſe. Superſedebo quoque eo labore, quem alius, nimis forſan curioſus, in exquirendis illis, quae ad conditorem atque appellationem * eius pertinent, fruſtra poſiturus eſſet; praeſertim cum antiquitatis monumenta hoc in genere nihil quicquam ſuppeditent, ex quo uel leuior quaedam utriusque rei duci poſſit coniectura.

Nam

* Primum hic nominis, quod caſtrum noſtrum gerit, diuerſam in hiſtoriarum monumentis occurrentem ſcripturam notare placet; nimirum pro captu ueteris illius aeui, nullam plane certam ſcribendi rationem in uocibus nominibusque uernaculis exprimendis ſequi ac ſeruare aſſueti. Communis maxime eſt *Trifels*, uti patet ex locis infra adducendis, eaque praeterea uulgari pronuntiatione confirmatur. In nonnullis loco *T*, *D*, & loco *i* ac *f* litterae *y* & *u* poſitae reperiuntur. Auctor *annalium Hildesheimenſium*, qui in ſcriptoribus rerum Brunſuicenſium a *Leibnitio* editus exſtat p. 738 habet *Triueles*; cum quo ſcripturae genere ex parte congruit illud, quod in litteris *Vrbani IV* ad *Richardum* Regem datis, quas itidem illuſtris ille uir in Prodromo ſuo *Codicis Diplomatici* n. XIV ſect. IV primus in lucem produxit. In eis enim legitur *Treueles*. *Monachus Kirſchgartenſis*, quem edidit *Ioannes Petrus* a *Ludevvig*, Academiae Hermundurorum decus atque ornamentum, in *Reliquiarum mſcr. omnis aeui diplomatum ac monumentorum ineditorum* uolumine II ponit *Triuels*. *Chronicon Egmondanum*, quod in lucem emiſit *Antonius Matthaei* habet cap. XLIII p. 52 *Drieſuelt*. Sed *Chronicon manuſcr.*

Mogun-

Nam quae ex commentitia uulgi fabula de *Triboco*, fabuloſo illo *Druſi* in inferiore hoc *Vogeſi* tractu praefecto, a quo primum caſtrum noſtrum *Sequanorum* genti propugnaculi loco oppoſitum & obiectum, atque ex hoc ſuo auctore initio *Tribochum* nuncupatum ſit, ſed cui poſtea a *Francis* Teutonibus, cum Romanos his finibus expuliſſent, *Trifelſae* nomen fuerit inditum, a nonnullis traduntur, ea profecto cuncta, quando omni antiquitatis teſtimonio & grauiore confirmatione carent, nugigerulorum, ut *Plautino* in his nugis utar uerbo, futilia ſunt commenta, atque eorum in primis hominum ſomnia, qui caeco quodam rerum patriarum amore rapti, ementitis eius generis origiginibus atque primordiis, easdem uenerabiliores quodammodo efficere ſatagunt *.

Neque

Moguntinenſe, quod laudat *G. C. Ioannis* in uolumine *rerum Moguntiacarum* I p. 535 nota 3 § v ſubiuncta, habet *Truſels*, & *Eyſengrein* in *Catalogo Epiſcoporum Spirenſium* lib. XIII ad annum MCCVIII p. 232 *Treifels.* Illuſtri *Gundlingio*, Regi Pruſſiae a ſanctioribus conſiliis, ac caerimoniarum in aula Berolinenſi interpreti, rituumque moderatori, in uita *Richardi* Caeſaris uocatur *Tresfels*; *Ludevvigio* ampliſſimo in diſſertatione *de Noriberga Inſignium Imperialium tutelari* cap. IV § 10 litt. gg *Dreiſuelda*, *Drieſuelt*. Num ſatis accurate, ex eis, quae praemiſi, haud difficulter diiudicare licet.

* Fluxit totum hoc fabulae genus ex riuulis admodum turbidis. Nimirum ex *Antiquitatibus* illis *Palatinis*, quas *Iacobus Beyerlinus* quidam, ex *Io. Agricolae*, *Ruperti* Imperatoris Camerae-Secretarii, & *Iodoci*

Neque minus illa, quae uiri quidam docti, & in eis maxime diligentiſſimus omnis hiſtoriae patriae inueſtigator *Tolnerus* * de auctore eius diſputat, quaſi id ex Imperatoribus Germanis *Fridericus*, cognomento *Barbaroſſa*, primus exſtruxerit, & quidem, ut *Martinus Zeilerus*, homo in locis, urbibus,

Iodoci Sabellini de *Wyſſenburg*, *Conneſtabilis*, fabuloſiſſimis uiridariis, aliisque eiusdem generis manu ſcriptis collegit; quae quidem collectio manu ſcripta in plurimorum uerſatur manibus. At quanti ſit pretii, cognoſcere licet ex ſpecimine illo, quod a *Ludouico Chriſtiano Miegio*, Viro ampliſſimo atque omni antiquitatum Palatinarum copia inſtructiſſimo, parte I *Collectaneorum Palatinorum* p. 251 inſertum eſt. Nos, quae in maiore illa collectione de *Trifelſa* traduntur, ex parte hic ſubiungere non dubitamus. *Als der edle Roemer* Druſus *die Landſchafft behauptet, erbauet er in derſelbigen viel Veſtungen, Berg-Caſtell, und vvehrliche Flecken, beſetzt die Caſtellen mit Roemiſchen Land-Voegten, und die Flecken mit geſtifftem Kriegs-Volck. Vff* Magedburg, *in dem* Nieder-Waſgau, *ordnet er zum Land-Vogt den kühnmüthigen, ſieghafften Helden* Tribocum. *Dieſer Land-Voge* Tribocus *bauete mit conſens des Roemiſchen Hertzogen* Guaei, *ſo damahlen zu* Argentorato (Straſzburg) *ſaſz, in dem* Kirchelberger Thal, *uff dem* Sonnenberg, *ein vvehrlich nothveſt* Berg-Caſtell, *vvider die Sequanier und Teutſchen Gallier, nennete daſſelbige Berg-Hauſz* Tribochum. *Die Teutſchen Francken aber, als ſie unter dem Roemer* Aetio *dieſe Landſchafft, groſz das euſſer, und klein Gallien den Roemern abgetrungen, ſetzten und ordneten ſie an ſtatt der Land-Voegt, Graffen und Baronen, und gaben allen Berghauſern andere Namen, und nenneten das vorgemeldte Berg-Schloſz* Tribochum, Triefels. Eiusdem generis alia in eadem collectione de *Trifelſa* narrantur, quae quidem *omnia gerrae*, ut cum Poeta loquar, *germanae atque edepol lirae lirae*.

* Vide ſis *Hiſtoriam* eius *Palatinam* c. II p. 83.

bus atque regionibus tum deſcribendis, tum illuſtrandis haud parum nauus & induſtrius, ſed nimium ſaepe credulus, ariolatur, ſaxis quadratis ad formam & exemplum arcis, quae fuit quondam *Hagenoae*; * ea pridem ſunt exploſa atque reiecta, ** propterea quod ſatis longo interuallo ante eum exſtitiſſe conſtat.

Nos illa tantum commemorabimus, atque undique ſumus collecturi, quae in annalium ueterumque

B

* Lubet afferre, quae is in *Chorographia Palatinatus Rheni & uicinarum regionum*, a *Matthaeo Meriano*, tabulis aereis exornata, p. 11, ubi agit de *Annaeuilla* oppido, hanc in ſententiam tradit: *Es iſt darob das Schloſs* Triefels, *vom Kayſer* Friderico Barbaroſſa, *mit hohen gehauenen quadern, gleichvvie die Burg zu* Hagenau *gebauet* Quae uero idem iſte de ampliſſimo quodam conclaui tradit, & quidem his uerbis: *Oben in der Hoehe dieſes Hauſes hat es einen gevvaltigen Saal, darinnen man durch einen Felſen, in vvelchen viel Staffeln gehauen, gehen muſs: Derſelbe Saal iſt auch mit Marmelſtein geblaettet*, ea in medio relinquam. Non enim caſtrum noſtrum, niſi procul, intueri mihi licuit. Ceterum tum haec tum priora *Zeileri* uerba more ſuo repetiit *Ioannes Chriſtophorus Wagner*, Norimbergenſis, auctor libri Germanici, cui titulus: *Der Pfaltz am Rhein Staat-Land-Staedt- und Geſchichts-Spiegel. Augſpurg* 1690. *Zvveyter Theil.* p. 51.

** Factum id maxime eſt a *Georgio Chriſtiano Ioannis*, uiro longe clariſſimo, quando primus *Tolneri* ſententiam refutauit in *Animaduerſionibus* ſuis erudititiſſimis, quibus ea, quae ab illo de rebus Bipontinis traduntur, tum corrigit, tum illuſtrat. Euolue, ſi placet, *Miſcella* eius *Hiſtoriae Palatinae, cum maxime uero Bipontinae inſeruientia*, quae nundinis anni ſuperioris autumnalibus prodiere, & in eis *Animaduerſionum Specimen* I, n. XVI p. 78.

Digitized by Google

que diplomatum monumentis memoriae prodita certis ſuis nituntur argumentis. In quibus illud, quod ei, in his orationis meae principiis, iuſtam quandam apud uos conciliare debet uenerationem, primo ſtatim loco mihi ponendum uenit: eſſe nimirum uetuſtate ſua ualde antiquum; quippe quod iam inde ab *Henrici V* temporibus annalium monumentis memoratum celebratumque reperitur, hoc eſt, ſub initium ſaeculi duodecimi; quod ipſum, quam grauiter ſint alucinati, qui id demum a *Friderico Barbaroſſa* conditum, excitatumque ſibi perſuaſere, clariſſimo nobis indicio eſſe poteſt *.

Hoc uero poſito atque a uobis cunctis approbato, liceat mihi id quoque pro certo ſumere, quod iisdem, ſi audirent, non poſſet non falſum fictumque uideri, idem noſtrum caſtrum ipſo *Henrico* eſſe multo antiquius & uetuſtius, propterea quod, cum hic imperaret, ualde illuſtris eius iam erat fama, magnaque commendatio * *. Non enim adduci tam facile poſſum, ut credam, illud demum ſub uno *Henrico* conſurrexiſſe atque ita perfectum abſolutumque ſtatim fuiſſe, ut eam, quam diximus, famae celebritatem conſequeretur.

Verum

* Clarum hoc eſt ex illis locis, quae de *Trifelſa Henrici V* temporibus iam florente agunt. Ea autem infra adducta occurrent.

** Idem ex eisdem locis coniunctim conſideratis colligere licet.

Verum progredior ad illud, quod in primis ad *Trifelſae* dignitatem & claritatem demonſtrandam ualere uosmetipſi fatebimini, quando in praecipuis atque celebrioribus Imperii Germanici caſtris longo numeratum fuit tempore *. Certe tantum in eo poſitum erat momenti & praeſidii, ut eius poſſeſſio Imperatoribus recens electis plane putaretur neceſſaria, atque adeo in conſuetudinibus atque inſtitutis Imperii, quae ad Imperatoriam dignitatem iisdem aſſerendam atque confirmandam pertinebant, haud poſtremum obtineret locum, *Trifelſam* in poteſtate habere; id quod uel ex hoc uno liquere puto, quando *Vilelmus*, Hollandiae Comes, quem Papa *Innocentius IV* Imperatorem per Imperii quosdam Proceres improbo ſtudio conſtituendum curauerat, ut *Friderico II* Imperatori legitimo aegre faceret, de *Trifelſa* occupata ita ſibi eſt gratulatus, ut ſi eius poſſeſſio, ad Imperium ſibi delecto legitime uindicandum, omnium confeſſione longe plurimum ualeret **. Quid quod *Vrbanus* quoque,

 Ponti-

* Caſtrum fuiſſe imperiale teſtatur in primis *Trithemius*, celebris ille Sponheimenſis Archimandrita, *Annal. Hirſaug.* uol. I ad annum MCCXXIV p. 562, & quidem his uerbis: *Henricus, Rex & filius Imperatoris, audiens patris aduentum & metuens a facie illius, in caſtello Imperiali munitiſſimo Trifels nuncupato ſeſe recepit.*

** Nituntur haec ipſius *Vilelmi* Caeſaris litteris ad Abbatem *Haecmundenſem*.

Pontifex Romanus huius nominis IV, cum litem & controuerſiam, quae *Richardo* Cornubiae Duci de Imperatoria dignitate cum *Alfonſo* Caſtellae & Legionis Rege intercedebat, tanquam arbiter & iudex diiudicandam ſibi ſumſiſſet, id etiam in *Bulla* ſeu litteris ad *Richardum* datis inter illa, quae in Imperatore unoquoque iuſte & legitime conſtituto ex ueteri quaſi conſuetudine inſtitutoque Imperii requirerentur, referebat, quod eum *Trifelſae* caſtrum poſſidere oporteret, quippe quod electo, conſecrato, & coronato deberet & ſoleret aſſignari *.

Videtur

denſem, Vice-Cancellarium ſuum, datis, quae exſtant in *Chronico Egmondano* edito ab *Antonio Matthaei* cap. XLIII. Scripſit autem p. 52 inter alia etiam haec: *Accedat ad cumulum gaudiorum, quod caſtrum DRIESVELT & inſignia, imperialia diademata, cum multis ſanctuariis & in ornatu ineffabili, lanceam & coronam, in noſtro dominio iam habemus & pacifice poſſidemus.*

* Litteras *Vrbani* in Prodromo ſuo *codicis diplomatici* n. XIV exhibet *Godefridus Guilielmus Leibnitius*, uir honore atque eruditionis laude illuſtriſſimus. Is tamen, ut notant uiri omnis uetuſtatis Germanicae longe peritiſſimi *I. P. a Ludewig* in Diſſertatione de *Noriberga Inſignium Imperialium tutelari*, cap. V § 6 litt. pp p. 79, & *G. C. Ioannis* in uolumine I *rerum Moguntiacarum* p. 536, in eo errauit, quando per *Treueles* caſtrum, uti in litteris *Vrbani* uocatur, palatium *Treuirenſe* intelligi arbitratus eſt. Ceterum uerba ex litteris *Vrbani* huc maxime facientia § IV haec ſunt: *Sed idem electus, praedicto modo inunctus, conſecratus, & coronatus pro Rege habetur, & ei, tanquam Regi, debent a ſubditis iuramenta praeſtari, aſſignari ciuitates, oppida, caſtra, & ſpecialiter caſtrum de TREVELES, ac aliqua iura Imperii intra annum & diem a tempore coronationis eiusdem.*

Digitized by Google

Videtur autem ad eum dignitatis gradum tum maxime aſcendere ac nobile in primis clarumque fieri coepiſſe; cum Caeſares ex *Sueuorum* gente, in uicino huic caſtro noſtro tractu transrhenano frequenter commorari, ſedemque ſuam nonnunquam habere inſtituerunt. Ex eo enim tempore non hi ſolum illud tanquam ſuum ac proprium tenere & poſſidere coeperunt, ſed & ad uarias magni momenti res atque utilitates primi omnium, teſtantibus annalium monumentis, adhibuere. Quas quidem ipſas, cum & ſummam eius dignitatem, & quos ſui uſus olim maxime praebuerit, oſtendant, breuiter deſignare non ceſſabo, ubi iſtud prius quaſi praeteriens uobis indicauero, quod totum tranſire minime poſſum; fuiſſe non modo natura & ſitu munitum locum, ſed etiam operibus, eiſque ſine dubio firmiſſimis, undique clauſum ac ſeptum *; idque uel ideo attingere libuit, quia eo Imperatores haud parum commotos opinor, ut caſtrum no-

 ſtrum

* Huius rei ſatis locupletem habeo teſtem *Trithemium*, Abbatem Sponheimenſem. Is enim caſtrum noſtrum in *Annalibus* ſuis *Hirſaug.* non uno loco *munitiſſimum* appellat. Euolue, ſi placet, partem eorum I ad annum MCCVIII p. 515, & 562 ad annum MCCXXXV, ubi haec in primis uerba occurrunt: *Qua patris aſtutia circumuentum ſe filius* (Henricus ſcilicet, *Friderici II* filius) *intelligens, factum doluit, & metuens iram patris, ad caſtellum* Trifels, *natura ſimul & arte munitiſſimum, cum paucis ſe recepit.*

ſtrum prae ceteris arcibus oppidisque hoc tractu delegerint, quod ad uſus ſuos adiunctum attributumque uellent. In his autem, quos praebuit, utilitatis fructibus, illud mihi, quod me haud uana coniectura augurari arbitror, primo loco ponere uiſum eſt: concluſos ſcilicet huc & in cuſtodiam nonnunquam traditos illuſtriores captiuos, in primis eos, qui ex Germaniae Principibus tum ipſis Imperatoribus tum Imperio uniuerſo pericula moliri non dubitabant. Cuius rei maxime teſtem habeo, qui id ipſum per annos integros tres acerba quadam ratione in ſemet expertus eſt, *Adelbertum* Archiepiſcopum Moguntinum, quem, cum rebus ſtuduiſſet nouis, neque honos, quo erat ornatus, ampliſſimus atque ſanctiſſimus, nec locus primus ac princeps, quem Antiſtites Moguntini in ampliſſimo Imperii Germanici Procerum collegio tenent, tueri potuit, quo minus *Henrici V* iuſſu bis apud *Trifelſam* captiuus concluderetur *. Neque dubito, quin *Adelberti* quoque obſides, quos, cum uincu-

* Teſtantur primo id maxime uerba, quae *G. C. Ioannis* ex *Chronico* quodam manuſcr. *Moguntinenſi* uolumine *rerum Mogunt.* I p. 535 not. 3 § V ſubiuncta citat: *Lieſz ihn fangen und auf Schloſz* Trufels *führen.* Deinde *Chronographus Magdeburgenſis* itidem *mſcr.* ex quo idem eodem loco haec excerpſit verba: *Contra* Henricum V *confoederauit ſe* Adelbertus, *Archiepiſcopus Moguntinus*, Lutherus *Dux*

uinculis leuaretur, ac de ſatisdatione Caeſari intra anni ſpatium praeſtanda caueret, ſuam uicem in cuſtodiam tradiderat, duriſſima illa uincula, quibus uexati perhibentur, hic maxime, in eo, inquam, loco, quo *Adelbertus*, ſi fidem ſuam interiecto tempore non liberaret, denuo ſeſe ſiſtere debebat, fuerint perpeſſi *.

Verum non modo ad captiuos illuſtriores cuſtodia Caeſarea continendos, ſed & ad regni inſignia hic tanquam in loco maxime tuto ac munito in primis contra illos omnes, qui Imperium affectantes ea ſibi uindicare cuperent, reponenda & aſſeruanda nonnunquam fuiſſe adhibitum, atque in ea

Dux Saxoniae, Rudolfus *Marggrauius*, Fridericus *Comes Palatinus.* Adelbertus *fuit captus ac ductus in* Driuels *in cuſtodiam, ibique per tres annos detentus.* Tum *auctor annalium Hildesheimenſium* a nobis iam ſupra citatus p. 738: MCXIII *Imperator* Wormaciae *Paſcha celebrat. Eo adducitur Epiſcopus Moguntinus.* Triueles *Imperatori redditur, denuo cuſtodiae mancipatur.* Ceterum de tota hac *Adelberti* tum conſpiratione tum captiuitate ſtrictim agit *Nic. Serarius* Moguntin. rerum lib. V § V & ſeq. fuſius in annotationibus ſubiunctis *G. C Ioannis*; qui *Leuckfeldii* ſimul & alius cuiusdam errores ibi detexit & correxit; quorum ille *Adelbertum Ruſtenbergam*, hic *Ehrenfelſam*, qui locus uterque in Electoris Moguntini ditione eſt ac poteſtate, abductum eſſe ſibi perſuaſerat.

* De his *Adelberti* obſidibus agunt iidem iſti duo libro citato. Quanta uero crudelitate lacerati fuerint, exponit ipſe *Adelbertus* in priuilegii tabula, Moguntinis ob ſummam fidem ſibi captiuo ab ipſis praeſtitam conceſſa, quam *Serarius* p. 547 § 2 exhibet.

Digitized by Google

ea re cum aliis Imperii Caeſarumque urbibus & caſtris pari affectum eſſe honore, non uno firmare & docere poſſum argumento. Praeter enim quam quod *Henricum V*, cum iam iam eſſet moriturus, ſuis, uti coronam, ceteraque inſignia, ornatumque regalem, quoad Imperii Proceres conueniſſent, in eo collocarent, praecepiſſe relatum legimus *; praeterea *Conradum* de *Scharffeneck*, Nemetum & Mediomatricorum Antiſtitem, cum *Ottonis IV* Imperatoris conſpectum fugeret, regni inſignia ſecum allata *Trifelſae* condidiſſe **, liquido confirmare licet. Quid quod unus aliquis ex erudititiſſimis, quos quidem noſtrum hoc aetatis tulit tempus, rerumque maxime Germanicarum peritiſſimis uiris minime

* Apud *Chronographum* ſcilicet *Magdeburgenſem* a *Meibomio Iuniore* in lucem protractum, ac uolumini II Hiſtoricorum Germanicorum inſertum. Is enim, licet *Archimandrita Vrſpergenſis* ad annum MCXXV p. 284 tradat, Henricum *diſpoſuiſſe, ut regalia uſque ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello firmiſſimo, quod* Hamirſtein *dicitur, reponerentur*, ſic tamen p. 325 memoriae prodidit: Henricus *Imperator, huius nominis quintus apud* Traiectum *ciuitatem aegritudine, qua diu laborauerat, ſuperatus, ad extrema perducitur. Vocatiſque Regina* Mechtilda *coniuge ſua, ac filiis ſororis ſuae*, Frederico *Duce Sueuiae &* Conrado *fratre eiusdem Rodenburg, de regni ſtatu conſilium dedit, proprietates ſuas atque Reginam eisdem, utpote heredibus ſuis, commiſit, coronam ceteraque regalia usque ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello* Trifels *reponi iuſſit.*

** Vide loca *Trithemii* & *Eiſengrinii*, quae paullo infra adducta reperies.

nime dubium eſſe iudicat, quin Germaniae Proceres abhinc amplius annis quadringentis unam *Trifelſam* potiſſimum delegerint, in quo eadem illa per totum iſtud tempus, quod tum ei, tum plurimis aliis interregni nomine uenire ſolet *, cuſtodienda atque incolumia ſeruanda curarent **. Cum hoc autem ampliſſimo honoris ac dignitatis genere, quod

C iſta

* Minus quidem recte. Vide modo ſis, quae *Iacobus Paulus a Gundling*, uir honore ac nomine perilluſtris, in praefatione *Hiſtoriae Richardi Caeſaris* § I & ſeq. monuit.

** Eſt haec ſententia *I. P.* a *Ludevvig*, quam aperit in Diſſertatione eruditiſſima *de Noriberga Inſignium Imperialium tutelari* cap. IV § 10 litt. gg. Ea autem *Vilelmi* Regis nititur uerbis, quae ex litteris eius ad Archimandritam *Haecmundenſem* ſupra iam p. 12 a me citata uelim lector haud grauate cogitationi oculisque ſuis ſubiiciat. Quod ſi quid hic intelligo, non tam liquido, quemadmodum ſibi uir illuſtris perſuaſit, haec *Vilelmi* uerba oſtendunt, regni inſignia, cum ea ſibi Rex uindicaret, *Trifelſae* maxime fuiſſe recondita. Neque enim ex eo, quod caſtrum in poteſtate ſua habere ſe laetus teſtatur, cum eoque ſtatim coniungit inſignia, confici poſſe puto, haec in eodem iſto reuera latuiſſe incluſa; quandoquidem fieri potuit, ut illa in alio loco repoſita ceperit. Et quod ad caſtrum attinet, potuit de eius poſſeſſione etiam ſine illis uehementer ſibi gratulari. Erat enim in eo, quemadmodum ſupra demonſtraui, ſeparatim ſumto, haud paruum momentum ad Imperium uindicandum. Quando uero uir illuſtris porro concludit, Imperii Proceres toto illo tempore, quo Germania Imperatore communi ſententia conſtituto carebat, inſignia in hocce noſtro caſtro habuiſſe recondita, iſtud quidem ex *Vilelmi* litteris neutiquam elici poſſe exiſtimo. Neque etiam certo conſtat, fuerintne illa in Principum poteſtate, nec ne, & ſi maxime fuerunt, tam in alia Imperii urbe uel caſtro recondi ab ipſis potuerunt, quam *Trifelſae*. Sed haec hactenus.

iſta Inſignium Imperialium cuſtodia *Trifelſae* adiunctum fuiſſe intellexiſtis, illud quoque, quod non minus caſtro noſtro amplum atque honorificum accidere debuit, coniungendum uenit, aerarium itidem Imperiale ibi fuiſſe collocatum; quod quidem in primis *Henricus VI* Imperator, Panormo, primaria ac florentiſſima Siciliae urbe, in deditionem redacto, regia gaza, qua maxima eo loco eſt potitus, ita locupletauit, ut nihil eo tunc temporis exſtiterit refertius *.

Cum uero, uti iam ſupra a me audiuiſtis commemoratum, longe eſſet munitiſſimum, eorum plerumque quaſi portus quidam & refugium fuiſſe uidetur, qui latebras receptusque quaerebant, in quibus incluſi atque abditi tuto & ſine metu eſſe poſſent. Spirenſis certe & Metenſis quondam Antiſtes, quem modo nominaui, cum ſibi ab *Ottone IV* metueret, *Trifelſa* noſtra tanquam perfugio uſus eſt tutiſſimo, quo ſe cum Imperii inſignibus conferret, exſpectaretque, an ab eo eundem dignitatis

* Vtrumque cognoſcere licet ex Appendice *Ottonis* de *S. Blaſio* ad lib. VII Chronici *Ottonis Friſingenſis*, p. 119. Verba haec ſunt: *Inaeſtimabili igitur pecunia in theſauris regiis auri argentique reperta, aerarium publicum* Triuels *confertiſſimum reddidit, aliaque Imperialia triclinia ex his admodum ditauit.*

tatis ſtatum ac gradum impetraturus eſſet, quem ſub *Philippo* Caeſare adhuc tenuerat *.

Neque minus *Henricus* Caeſar, *Friderici II* filius, qui ſtirpis Caeſareae maximus erat, cum patris, cui facta conſpiratione calamitatem machinari non dubitauerat, adſpectum praeſentiamque uitaret, *Trifelſam,* loci itidem fretus munimentis, ſe recepit, ut ibi rerum interea ſuarum operiretur exitum **; cuius quidem ratio ita fuit comparata, ut cum caſtrum noſtrum, quod adhuc tenuerat, ex

C 2 pro-

* De hoc *Conradi* receptu, quem habuit in caſtro noſtro, agit uerbis dilucidis *Trithemius* Annal. Hirſaug. parte I ad an. MCCVIII p. 515. Conradus *de* Scharffeneck, *inquit ille*, *Spirenſis & Metenſis eccleſiarum Epiſcopus, &* Philippi *Regis olim Cancellarius*, *in caſtrum munitiſſimum* Trifels *ſe contulerat*, *metuens nimirum a facie Regis* Ottonis: *& nec uenire ad eius conſpectum uoluit*, *nec regalia praeſentare inſignia*, *quae ſecum habuit*, *niſi Cancellarium ſe facturum* Otto *ſuum promitteret*: *quemadmodum Regis* Philippi *prius extiterat.* Idem tradit *Eyſengrein* in *Catalogo Epiſcoporum Spirenſium* lib. XIII ad ann. MCCVIII p. 232; Cunradus (Epiſcopus) *habens inſignia in caſtro* Trifels, *coronam*, *crucem lanceam*, *tanquam Imperialis aulae Cancellarius.* *Ob id perdurauit in eo* (ſcilicet munere) *quoad uiueret.*

** Hic mihi denuo Sponheimenſis Archimandrita citandus uenit, qui de hoc pariter *Henrici* receptu uolumine memorato ad an. MCCXXXV p. 562 ita ſcribit: Henricus *Rex & filius Imperatoris audiens patris aduentum*, *& metuens a facie illius*, *in caſtello Imperiali munitiſſimo* Trifels *nuncupato ſeſe recepit*, *donec rei uideret euentum.* Et rurſus: *Qua patris aſtutia circumuentum ſe filius intelligens*, *factum doluit*: *& metuens iram patris*, *ad memoratum caſtellum* Trifels, *natura ſimul & arte munitiſſimum*, *cum paucis ſe recepit.*

promiſſo ac recepto non reddidiſſet, atque in ceteris pariter rebus fidem haud ſeruaſſet, aeternis poſtmodum tenebris, uinculisque mandaretur *.

Ex his autem, quae adhuc diximus, facile illud colligere unusquisque poteſt, Imperatores caſtrum noſtrum inprimis carum habuiſſe **, illosque haud exiguam de eo ornando conſeruandoque attigiſſe curam, quod quidem, ſi nullo alio uetuſtatis teſtimonio planum facere poſſem, una tamen illa munificentiſſimi Caeſaris *Friderici II* in eo tuendo, ornandoque cura plane ſingularis, cum Annaeuillanis

* Hoc ex parte me docuit *Godefridus Monachus*, qui exſtat in *Scriptoribus rerum Germ.* editis primum a *Marquardo Frehero*, & recognitis poſtmodum a *B. G. Struuio* tom. I. Tradit autem *Godefridus* ad annum MCCXX haec: *Conſilio habito V Non. Iulii apud* Wormaciam *in gratiam patris recipitur: ſed non perſoluens, quae promiſerat, nec reſignans caſtrum* Driuels, *quod habuit in ſua poteſtate, iuſſu patris Imperatoris eſt cuſtodiae mancipatus.*

** Id mihi ex parte ſatis clare indicare uidetur diploma Caeſareum, quo *Fridericus II* Annaeuillae oppido an. MCCXIX plures impertiuit immunitates, quando in duabus allatis cauſſis, quare Annaeuillenſes gratia ſua & clementia complecti uelit, alteram ab hoc caſtro noſtro arceſſit. Scribit autem ita; *Villam noſtram* Anuiller *pro uilla* Mornsbrunn *cum cambio commutatam, & homines in ea nunc & in poſterum perpetuo habitantes ſub ſpeciali gratia & protectione recipimus, & ob diuinae Maieſtatis reuerentiam, caſtrique imminentis ſingularem dilectionis praerogatiuam plenae ſinceritatis affectu intendimus conſouere.* Ipſum diploma continetur *Tabularum litterarumque ueterum Spicilegio*, quod *G. C. Ioannis* non ita pridem in lucem emiſit.

Digitized by Google

uillanis ea lege argenti cudendi poteſtatem conceſſit, ut quod inde rediturum eſſet, id in eius ſarta tecta perpetuo inſumeretur *, minime cuiquam ſinit eſſe dubium. Hoc autem loco quaeſtio mihi uidetur exſiſtere, num quando Imperatores caſtrum noſtrum frequentarint? quod ipſum, licet hiſtoriarum, quae ſuperſunt, monumentis haud liquido confirmari queat, minime tamen in dubio ponendum eſſe arbitror, propterea quod ueri prorſus eſt ſimile, illos tantae dignitatis tantaeque celebritatis locum, in cuius poſſeſſione maxima, quemadmodum adhuc intelligere potuiſtis, erant momenta, & frequentaſſe ſaepe, & in eo paulliſper cum uoluptate nonnunquam eſſe commoratos **.

Equidem quod ad *Fridericum Barbaroſſam* attinet, uetus haec opinio uniuerſum fere oppleuit Palatinatum, eum in arce noſtra ſat longum inter-

 dum

* Firmabo hoc & docebo diplomate modo citato, in quo haec Imperatoris occurrunt uerba: *Indulſimus etiam eis* (Annaeuillanis) *propriam facere monetam & habere, ut quod ex ea prouenerit, ſuper caſtrum noſtrum* Trifels *ſeruiat.*

** Id facere in animo habuiſſe uidetur *Vilelmi* Caeſaris coniux, de qua *Monachus Kirſchgartenſis* ſupra a nobis citatus haec narrat: Wilhelmus *Rex cum coniuge ſaepe in* Wormatia *erat, & cum quadam uice Regina* Triueld *pergere tenderet a* Wormatia, *quidam* Hermannus *dictus* de Ritberg *ipſam cepit Reginam iuxta* Oderheim; *& Comitem de* Waldach *cum ea - - an. MCCLIV.*

dum ſubſtitiſſe tempus *. At uereor, ne hoc totum, quando nullo firmiore uetuſtatis communiri poteſt teſtimonio, ex ſimillimo, uel potius eodem manauerit fonte, ex quo illa anilis maxime & ſuperſtitionis pleniſſima fabula de lecto, in quo idem iſte glorioſiſſimus Imperator recumberet & requieſceret, noctibus ſingulis *Trifelſae* ornando ſternendoque defluxit **. Quod ſi quis caſtrum noſtrum ab Imperatoribus, quos Sueuia tulit, inprimis frequenta-

* Hanc miſerae plebeculae opinionem habet quoque ille ſupra p. 9 a me citatus nugiuendus. Ita enim in capite *de Annaeuilla* oppido loquitur. *Als anno Domini* 1152 *Kayſer* Friderich Barbaroſſa *ein gute Zeit uff dem Berg-Schloſs* Trifels *ſich uffenthielt*, *hat er dieſer Stadt alte priuilegien erneuert.* Cum uero non hunc, ſed nepotem eius *Fridericum II* Annaeuillenſes inprimis fouiſſe, ac non uno immunitatum & beneficiorum genere auxiſſe & ornaſſe conſtet, eumque *Trifelſae* ſemel atque iterum commoratum fuiſſe, coniicere liceat, hanc in opinionem diſcedo, ut mihi dubium non ſit, quin homines imperiti ac rudes *Friderici* nomine decepti per ἀνιστορησίαν auum cum nepote commutarint. Eſt quidem, ut hoc addam, Generoſiſſimus *Iacobus Paulus a Gundling*, qui inter ea loca, in quibus *Fridericum I* ex interuallo conſtitiſſe, domiciliumque adeo ſuum ac ſedem libenter nonnunquam collocaſſe memorat, noſtrum quoque refert caſtrum; ſed cum eius rei nullum adhuc ſatis firmum teſtimonium expiſcari potuerim, ſententiam haud facile muto. Videatur uiri ampliſſimi libellus, cui titulus: *Geſchichten und Thaten Kayſer* Richards p. 39.

** Eam *Martinus Zeilerus* in *Topographia Palatinatus Rheni* & uicinarum regionum, p. 11, ubi *Annaeuillam* urbem deſctibit, his comprehendit uerbis;

Digitized by Google

quentatum eſſe coniiceret, cum certe, quantum ipſe coniectura augurari poſſum, haud malum prorſus uatem eſſe arbitrarer, propterea quod illi in hac ora ac parte Germaniae alioquin ſatis frequentes eſſe ſolebant *.

Haec autem ſunt, AVDITORES, quae mihi afferenda putaui, ut ex iis caſtri noſtri tum dignitatem, tum quam praebuit ſui utilitatem, quodammodo intelligeretis. Neque dubito, quin illud effecerim, ut eius nunc cadauer maiore atque antea cum perpenſatione, oculisque, quotiescunque in eos occurret, magis curioſis contemplaturi ſitis. Mea

uerbis; *Der gemeine Mann iſt beredet vvorden, man müſſe gedachtem Kayſer* Friderico (Barbaroſſae) *in dieſem Schloſs, vvie auch zu* Kayſers-Lautern, *alle Nacht ein Bett machen, darinn er ruhe; dann er ſeye zu* Hagenau *in der Burg lebendig verzuckt vvorden.* Eandem tangit *I. Seobaldus Fabricius*, Hiſtoriarum quondam in academia Heidelbergenſi Profeſſor, in Diſſertatione de *Lutrea Caeſarea* ſect. II p. 14 & ſect. IV p. 22, quae perinde atque illa, quam ſcripſit de *Manhemio*, rebus nec ueris nec ueri ſimilibus eſt conferta.

* Perilluſtris *Gundlingius*, quem modo laudaui, in eadem uitae narratione p. 29 in illis Imperatoribus, quibus in primis caſtrum noſtrum arriſerit, idque ſaepius frequentare non ceſſauerint, praeter *Fridericum I* nominatim ponit *Henricum* VI, *Philippum Sueuum*, & *Fridericum* II, quos omnes Hohenſtauffia Domus quondam ſubminiſtrauit, qui Imperii Germanici tenerent clauum. Id uero probe hic cauendum cenſeo, ne quis illos longum nonnunquam tempus ac magno cum comitatu *Trifelſae* commoratos eſſe putet. Hoc enim quo minus credi queat, loci ratio obſtare uidetur.

Mea iam oratio ad reliqua, quae reſtant dicenda, feſtinat; in quibus maxime commemoranda occurrit priſtinorum Dominorum, quam ſubiit, mutatio. Nam cum adhuc ſub Imperii atque Imperatorum fuiſſet poteſtate, ſaeculo abhinc tertio *Sereniſſimis Comitibus Palatinis ad Rhenum* parere coepit; qua quidem rerum ſuarum commutatione ſplendorem atque dignitatem, quam adhuc obtinuerat, haud parum minutam exiſtimare quiſpiam poſſet, niſi eius generis nactum eſſet dominos, quibus, uno *Caeſare* excepto, nulli unquam illuſtriores atque magnificentiores ei obtingere potuiſſent. Eſt autem *Ludovicus IV* Imperator, *Bauari* cognomine notus, qui illud una cum aliis locis ac terris, abhinc annis fere quadringentis, *Rudolfo* & *Ruperto* fratris ſui *Rudolfi* Electoris filiis, quibus patre defuncto in gratiam receptis alioquin benigne facere cupiebat, pro modica primum *, ſed ad quam non una poſtero tempore facta eſt acceſſio, argenti ſumma, pignori

* Nimirum marcarum argenti millibus ſex, quemadmodum hoc cognoſcere licet ex ipſis *Ludouici* tabulis, hanc in rem anno MCCCXXX Lunae poſt D. *Agnetis* ferias *Tridenti* confectis, quas *G. C. Ioannis* in *Specimine I Animaduerſionum* ſuarum in *Tolneri* Hiſtoriam Palatinam n. XVI p. 75 in lucem prolatas exhibet. In eis autem uerba, quod ad *Trifelſam* attinet, ita ſe habent: Tryfels *die Burg, und vvas darzu gehoeret, beſucht und unbeſucht.* Multa autem marcarum millia non a *Ludouico* ſolum, ſed *Carolo* etiam *IV* ueteri ſummae inſequenti

pignori oppoſuit; ex eoque tempore in *Domus Electoralis* permanſit poteſtate, quoad *Stephano*, filiorum *Ruperti* Caeſaris, qui quidem erant ſuperſtites, tertio, in auiti diuiſione patrimonii obtingeret *. Hoc autem glorioſe defuncto, terrisque, quas reliquerat, bipartito diuiſis, ceſſit *Ludouico Nigro* **, atque ita cum ceteris Bipontinis terris deinceps perpetuo coniungi coepit.

Sequitur tandem illud, AVDITORES, quod cum a me in hac poſtrema orationis meae parte uos exſpectare ipſe putem, ſine graui ueſtra reprehenſione praetermittere minime poſſum, ut uobis ſcilicet indicem, quando potiſſimum & qua temporum iniuria ca-

D ſtrum

quenti tempore fuiſſe adiuncta, idem ille uir clariſſimus ibidem docet loci p. 77.

* Anno nimirum MCCCCX, uti patet ex tabulis factae partitionis, quas *Tolnerus Codici* ſuo *Diplomatico Palatino* inſeruit n. CCV. In eis autem p. 154 haec leguntur uerba: *So ſoll unſer Herr Hertzog* Stephan *haben* ------- Trifels *die Veſte*, Anvviler *die Stadt &c.*

** Poſt annos quatuor & triginta, quemadmodum *G. C. Ioannis* in *Animaduerſionum* in *C. L. Tolneri* Hiſtoriam Palatinam *Specimine I* n. XVI p. 27 ex hereditariae conſtitutionis tabulis, quas *Stephanum* Ducem, & Comitum Veldentinorum ultimum *Fridericum*, cum de adeunda olim a nepotibus ac filiis, *Friderico* & *Ludouico*, hereditate communiter conſtituerent, feciſſe conſtat, oſtendit. Verba illarum haec ſunt: *Item, ſo ſoll unſer Sohn Hertzog* Ludvvig *haben und beſitzen* ---- *die Veſte* --- Trifels, *und* Anvviler *mit ihren zugehoerden, nuſt nit uſsgenomen.*

Digitized by Google

ſtrum hocce noſtrum tam clarum, tamque nobile corruere primum & ad interitum deinceps uergere coeperit. Verum eſt huius rei ratio ita comparata, ut, cum hic ipſa uetuſtatis nuntia, teſtisque temporum hiſtoria me deficiat, uobis nequaquam ſatis eo in genere facere queam. Quod ſi tamen meam qualemcunque ſententiam ſcire cupiatis, ſcitote, me, quantum coniectura aſſequi licet, omnino putare, illud poſt bellum maxime teterrimum, quod ruſticani per totam Germaniam cum ingenti ſua clade annis abhinc ducentis nefarie concitauerant, uitium feciſſe, ac forte duriſſimo illo, multisque urbibus praeclaris & caſtris munitiſſimis exitioſo bello triceno, in dies magis magisque labefactatum, quum ad reficiendum iſtud tum ſumtus deficeret, tum temporis opportunitas, quin immo, nec cauſſa eſſet poſſeſſoribus, e ſqualore magnis id impendiis reuocandi, ad extremum penitus concidiſſe. Licet enim bello illo priore in ruſticorum poteſtatem peruenerit *, non tamen iniuriam ullam tunc temporis caſtro noſtro illatam eſſe conſtat **. Id certum eſt,

* *Trifelſam* a ruſticis captam eſſe, docet praeter *Crinitum*, cuius teſtimonium mox ſubiungam, *Leodius* Hiſtor. ſeditionis ruſticanae p. 79, & his quidem uerbis: --- *Arces* Trifels & Neucaſtel *ceperunt.*

** Ita enim *Petrus Crinitus*, ſeu uernacula noſtra, *Harer*, in hiſtoria

Belli

eſt, memoriam eius nullis ex eo tempore litterarum monumentis exceptam deinceps & celebratam exſtare; quod ipſum apertiſſime indicare mihi uidetur, *Trifelſam* aliquanto poſt illa bella & tempeſtatum & temporum iniuria ſic quidem in ſe ruiſſe, ut proſtrata nunc ante oculos iaceat, ac quaſi cadauer proiectum.

Reſtat, AVDITORES, ut, cum me nunc omnia abſoluiſſe uosmetipſi uideatis, uobis iam agam gratias, qui me tanta cum facilitatis & humanitatis declaratione toto orationis curſu non ſolum audire, ſed, quod maximum eſt, eadem quoque mihi timido ac paene trementi animum, dicendique quandam alacritatem addere benigniſſime uoluiſtis. Verum ea eſt immortalis huius ueſtri in me beneficii natura & ratio, ut me nullis uerbis, licet etiam exquiſitiſſimis uti contenderem, iuſtam meritamque uobis gratiam referre poſſe exiſtimem. Quare faciam illud, quod unum mihi relictum eſſe perſpicio, ut idem iſtud, quo me hac hora nullis ſuffragantibus meritis mactaſtis, illuſtriſſimum

Belli ruſticani cap. XLVII p. 257 ſcribit: *Poſt in deditionem Neocaſtellum & Trifellum poſtulant. Vbi intromiſſi certo numero praedam* (quod tamen mirum eſt) *non agebant. Et hinc pede promoto caſtra in monachorum uilla Merleim prope Landaniam ponunt.*

beneficii genus perpetuo recorder & reminiſcar; quod quidem ipſum tanto diligentius atque ſtudioſius ſum facturus, quanto mihi honeſtiorem atque auſpicatiorem hancce inſignem beneuolentiae ueſtrae ſignificationem accidiſſe ſentio, ſemperque, quoad uiuam, ſum ſenſurus.



Digitized by Google

GEORGII CHRISTIANI IOANNIS

ad

HENNINGVM NICOLAVM IOANNEM SLAAFIVM,

optimi patris optimum filium,

ſpeique haud uulgaris, ſed optimae adoleſcentem.

EPISTOLA.

Legi, quam de TRIFELSA, ueteri illo, celebrique olim Imperii caſtro, CL. CROLLII ductu, conſcripſiſti, ac, nupera ſcholaſticae iuuentutis luſtratione finita, non ſine ullo, ut mihi relatum eſt, auditorum applauſu, recitaſti orationem. Quam cum luce publica non indignam iudicarint, quibus curatior rerum patriarum notitia uoluptati eſt, bene feciſti, quod eam prelo commiſeris. Interim aegre, ſpero, haud feres, quod, dum tibi de ſpecimine hoc gratulari in animum induxi, ſimul bono tecum animo communicem, quae mihi inter legendum in memoriam recurrerunt.

Illorum autem primum eſt, praeter ea ueterum teſtimonia, quibus p. 14 & ſeq. contra *Leuckfeldium* & alium quendam anonymum oſtendiſti, *Adelbertum I*, eccleſiae Moguntinenſis Pontificem, *Trifelſae* coniectum fuiſſe in cuſtodiam, aliud adhuc eſſe in medio, non minus, quam illa, clarum, firmumque. Eſt autem *Chronographi* id *Luneburgenſis* (quem illuſtris, mihique peramicus uir, *Ioannes Georgius* ab *Eccard*, tomo I *Corporis Hiſtoricorum*, res medii aeui illuſtrantium, n. XIX inſeruit) ac col. 1361 & ſeq. ita habet: *De Kaiſer vor to mit grotem torne van Saſſen to dem Riche; he hadde gevangen den Biſchop* Albrecht *van Megentze; de lach to* Drivels.

Alterum eſt, coniuncta cum *Chronographo Magdeburgenſi* ſententia (p. 16) *Annaliſtam Saxonem* referre, *Henricum V*, cum morti proximus *Mathildi* Reginae, *Friderico* Duci Sueuiae, ceteriſque, qui ſibi tum praeſto erant, Primoribus, ultimae uoluntatis ſuae mandata daret, uoluiſſe, ut inſignia auguſtalia, do-

nec Imperii Ordines legitima ſuffragatione Regem ederent, *Trifelſae* reponerentur. Sic enim ille col. 656 &ſeq. Henricus *Imperator huius uocabuli* Quintus, *apud Traiectum Pentecoſten celebraturus, aegritudine, quam diu celauerat, ſuperatus, ad extrema coepit propinquare, uocatisque, qui ſecum erant, id eſt, Regina* Mathilde, *& conſobrino ſuo* Friderico, *Duce Sueuiae, ceterisque Primatibus, prout potuit, de regni ſtatu conſilium dedit, proprietates ſuas atque Reginam eiusdem* Friderici, *utpote heredis ſui, fidei commiſit, coronam, ceteraque regalia usque ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello firmiſſimo, quod* Trisfels *dicitur, reponi diſpoſuit.* Eſt autem *Annaliſta* hic *Saxo* ſcriptor temporibus illis ſuppar, ac ab rerum geſtarum notitia, ſi quis alius, probe inſtructus; *ein vortrefflicher Scribent*, illuſtris *Gundlingii* iudicio, in obſeruatione *von dem Urſprung der Marcgraevlich-Meiſſniſchen Familie*, faſciculo XXXIV *Gundlingianorum* inſerta, § XXII not. * p. 324; forte non diuerſus ab *Eggehardo* Abbate Vragienſi, inſigni temporis ſui hiſtorico, quae laudati *Eccardi* coniectura eſt †; hoc quidem probabilior, quo diſertius *Hermannus Cornerus*, Dominicanae familiae olim ſocius, dum haec uerba, praeter alia plura, in *Chronico* ſuo col. 668 affert, *Eggehardo* ea adſcribit. Vt adeo is potius hic audiendus eſſe uideatur, quam Vrſpergenſis ille Abbas, *Conradus* de *Lichtenau*, quippe qui & aetate inferior eſt, & ſua ex aliis tantum collegit.

† *In praefatione tomo I* Corporis Hiſtorici, *in quo eundem primus in lucem protulit, praemiſſa, n. X ſub finem. Ceterum hic notes, quod* Cornerus *caſtri noſtri nomen rectius per* Trifelz *expreſſerit.*

Sedenim, quocunque ſe res habet modo (nil enim definiam) ſine ſcrupulo tamen, bonaque fide dici poſſe arbitror, *Trifelſae* aliquando auguſtalia haec cimelia adſeruata fuiſſe. Lectae enim mihi, inter alias *Falckenſteiniorum*, Dynaſtarum ſplendore generis, opibus, atque auctoritate olim maxime illuſtrium, res bonaque ſpectantes litteras, tabulae *Conradi IV*, Romanorum Regis, anno MCCXLVI feria *D. Lamberti* ſignatae, luculenter prorſus teſtantes, cum *Trifelſam* tum temporis in poteſtatem acciperet, una, cum caſtro hoc, regalia illa monumenta, decoraque accepiſſe. Quo minus dubites, proferam e ueteri uerſione germanica uerba, quae huc faciunt, ipſa, quum luce, quam nondum uiderunt, digna ſint. *Wir CONRAD —— daz die —— ISENGARD, Husfravve PHILIPSEN von FALCKENSTEIN, vnſers lieben Troſeſſen —— vns geantvvortet hat —— die Burg* Trivels, *vnd* die Keiſerliche Zeichen, *mit namen*, vnſers Hern Holcz, *mit einem gulden Crucz*, S. Iohann Baptiſten Zahn —— S. Mauricien Spehr —— vnſers Hern Nagel, —— zvvey Schvvert *mit zvvey Scheiden*, —— den gulden Appel *mit dem Crucze*, den Keiſerlichen Mantel, *dru* gulden Sporen, *ein* Albe *von vviſſem ſammet, zvvey ſcharlacken Hoſen* (tibialia)

bialia) *vnd zvveen Schue* (ſandalia) *mit ſteinen gezieret* cet. Vtrum uero *Fridericus II* ea *Trifelſae* recondi iuſſerit, cum λείψανα haec, toti Germaniae honeſtiſſima, in Germaniam ex Italia remitteret, haud diſquiram. neque enim uel temporis uel loci id patitur ratio. Hoc tamen non poſſum, quin adiiciam, ex his, quae attuli, illuſtris *Ludevvigii* ſententiae, qua uult, *Wilhelmum* Caeſarem, cum *Trifelſam* accepiſſet, accepiſſe etiam auguſtales illas, quae tum ibi adſeruatae fuerint, reliquias, non plane nil ponderis accedere. Mihi enim perquam ueroſimile uidetur, *Conradum* eas illic loci, tanquam in loco, opere non minus, quam natura firmo, & in caſtris Imperii praecipui tum nominis, reliquiſſe.

Succedit, *Trifelſam* poſthaec fuiſſe penes gentem, quam dixi, *Falckenſteiniorum.* Quod ipſum licet uix alibi reperias, manifeſtum tamen faciunt tabulae *Philippi Falckenſteinii* ſenioris, anno MCCLXVI editae, ſed nondum in publico uiſae; quarum proinde particulam huc ſpectantem adferre e re erit. *Wir PHILIPS der elteſte von FALCKENSTEIN —— daz vvir zu nutz vnſerer Sone, PHILIPS vnd WERNHER, eine ordnung gemacht, die man gemeinlich nennet* gemutſcharet, *vnd han das getan mit irem guten vvillen —— Dieſe ordnung iſt alſo —— Auch ſit dieſelbe vnſere Sone die koſt der Burg* Trivels, Anebos, Calſmund, *vnd* Nuringes *ſint ſchuldig zu tun, des ordnen vvir vnd ſetzen, daz* Philips *vnſer Son die koſt der Burg* Trivels *vnd Anebos ſol gelten, vnd* Wernher *die koſt der Burg* Calſmund *vnd* Nuringes *darvvider gelten, vnd zu der koſt, die da geburet zu den Burgen* Trivels *vnd* Anebos, *ſol* Wernher *zu ſture alle jar 75 pf. Heller gelten.* Notes autem (quod tibi forte nondum eſt cognitum) *gelten* olim idem ſignificaſſe, ac *ſoluere, praeſtare*, uernacula, *bezalen, gut thun.* Quo minus ambigas, afferam duo illuſtria, quae mihi nunc occurrunt, loca, eaque nondum in lucem & uſum ab aliis prolata. Sic autem in celebri illa pactione, anno MCCCXXIX Ticini *Ludouicum IV* Imperatorem inter eiusque filios, ex una, & *Rudolfum* ac *Rupertum*, *Rudolfi* Balbi, Comitis Palatini ad Rhenum & Principis Electoris, filios, ex altera parte inita: *Wir ſollen auch vnſer teil vnd vnſer erben in vnſerm teil* gelten *Graven, Fryen, Dinſtmannen, Rittern, Knechten, Burgern, richen vnd armen, alles, daz man jnn* gelten *ſol vnz vff dieſen hutigen tage, gar vnd gentzlich, alſs jr brieff ſagen* cet. Tum uero in ſyngrapha *Prouiſorum eccleſiae Moguntinae* anno MCCCXLVI, peruigilio *D. Andreae* Apoſtoli, *Conrado* de *Trimperg* data: *Vnd dieſelbe ſchult, koſte, vnd ſchaden die driffet ſich vff eylff hundert marcke lodiges ſilbers, ſiebenzyg vnd ſiebende halp marcke ſilbers. der gioben vvir jm vnd ſinen erben zu geben vnd zu* gelten *tuſent cleine gulden von Florencien, vff den erſten Sontag in der Faſten, der no allerneſt kommet* cet. Vtrum uero (ut eo redeam, unde digreſſus ſum) pignoris loco, an alio quodam iuris titulo caſtrum hoc ad eos delatum fuerit, dum aliunde magis liqueat, in medio relinquo; quamuis fere ad ſuſpicandum ducar, pignori eis ceſſiſſe. *Calſmund* enim caſtrum (de quo ipſo hic mentio fit) *Pfedersheim* caſtrum, aliaque loca,

quae

Digitized by Google

quae nullius ſublimioris poteſtatis interpoſitu Imperio olim ſubiecta erant, eis oppoſita fuiſſe, e tabulis *Sigiſmundi* Caeſaris anno MCCCCXXIII Caſſouiae Mercurii ante *Philippi & Iacobi* Apoſtolorum memoriam ſignatis, pridem mihi, ut alibi iam monui, perſpectum eſt.

Ad extremum, minime, ut arbitror, praetereundum uenit, *Trifelſae* olim haud ſecus, ac in aliis ciuitatibus ac caſtris Imperatori & Imperio nullo interueniente ſubditis, conſtitutum fuiſſe *Aduocatum Imperii.* Innotuit id mihi e breui illo excerpto, quod e *Deſignatione priſcorum uillae* Queich-hambacenſis *iurium* (*Weiſthum* uulgari appellatione) anno MCCCLXXX feria II ante *D. Martini* celebritatem confecta, *Informationi*, ut titulus habet, *de coenobii Hornbacenſis occupatione*, parte II n. XXXIX p. 154 & ſeq. inſertum eſt, & quatenus huc facit, ita habet: *Die Scheffen vveiſen furter zu recht, daſs ein* Reichsfaugt *vff* Trifells *ſeie ein Oberherr des Gerichts, zu richten mit dem ſtrangk vnd mit dem ſchvvert, vber vbelthetter, vnd vvaſs davon entſteet, iſt des Reichsfaugts, es ſeie treyloſs, brichig, vvie daſs ſeje, hat er denſelben* (*f. daſſelbe*, ut l. d. dictae *Informationis* eſt) *zu ſtraffen.*

Prius uero, quam finiam, occaſione ita ferente, corrigere iuuabit *Monachi Kirſchgartenſis*, quem p. 21 attuliſti, locum. in duplici namque mendo cubat. Scilicet, pro, *Oderheim*, legendum, *Ogersheim*; quippe praeter quod oppidum Wormatia *Trifelſam* itur; non praeter *Odernhemium*, oppidum infra Wormatiam, Alzeiam inter ac Oppenhemium, in tractu, qui a late patentibus campis *κατ' ἐξοχὴν Gauia* dicitur, ad fluuiolum Selz ſitum. Dein, pro, *de Waldach*, legendum, *de Waldeck.* Intelligitur enim *Adolfus II*, Comes Waldeccenſis, qui aulae Caeſareae tum temporis praefectum agebat. uid. *Chronicon Waldeccenſe*, ſuperiori anno a doctiſſimo *Hahnio* e tenebris luci publicae commiſſum, p. 813 *Collectionis Monumentorum I* ab eo editae: cuius tamen auctor, *Daniel Praſſer*, ſimiliter hic notandus uenit, propterea quod caſtrum noſtrum corrupte *Triefeldiam* uocet.

Sedenim, ut tandem agam, quod mihi potiſſime agendum propoſui, tibi, *cariſſime mi SLAAFI*, tum de pulcerrimo hoc tuorum in litteris humanioribus profectuum ſpecimine gratulor, tum auctor ſum, monitorque, ut ueſtigia ampliſſimi Parentis tui, Fratrumque praeſtantiſſimorum, quae feliciter ingreſſus es, maioribus indies paſſibus perſequaris, ac eximias animi tui dotes pietate, diſciplina, uſuque, nunquam defeſſus, nunquam languens, ſed incitatiori ſemper incenſus ſtudio, confirmes. Sic adſpirante diuina gratia, tuorum, immo bonorum omnium, ſpem peroptato implebis, & quod, tui, tuorumque cupidus, ex animo precor, plana tutaque uia ad ueram procedes felicitatem. Scribebam a. d. VIII Kalend. April. qui annuntiatae ſalutis ſollemnitati dicatus eſt, an. Chriſtianae ἐποχῆς MDCCXXVI.

Digitized by Google